

per text. in l. *Nunc videndum* 1, et l. *Si quis* 2, ff. *De conditione indebiti*, l. *Pecunia indebita* 1, l. *Cum et soluta* 3, cod. eod. cum similibus; et ratio clara est, quia jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiolem, textu expresso in l. *Nam hoc* 14, ff. *De conditione indebiti*, ibi: « Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiolem, » leg. *Jure naturæ* 206, ff. *De regul. juris*, ibi: « Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiolem: » cap. *Locupletari* 17, *De regul. juris* in 6, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. »

(49. Qui per errorem solvit indebitum jure naturæ debitum vero jure civili, solum pariter condicere seu repetere potest sive per errorem facti, sive juris solverit. Glossa, in cap. *Is qui* 4, *De solutionibus*, verb. *Indebitum*; Abbas, *ib.*, num. 14; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 23, num. 2; Reiffenstuel, *ib.*, num. 70, et alii arg. l. *Si non sortem* 26, § 3, ff. *De conditione indebiti*. Et ratio est quia, quando agitur de damno vitando et non lucro captando, ut in hoc casu, non solum non nocet error seu ignorantia facti, sed nec error, aut ignorantia juris, textu expresso in l. *Error* 8, ff. *De juris et facti ignorantia*, ibi: « Cæterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet. »

(50. Qui indebitum jure civili, et debitum jure naturali solvit per errorem seu ignorantiam facti, modo ignorantia non sit crassa vel supina, potest solum repetere seu condicere. Glossa, 2, in cit. cap. *Is qui* 4, *De solutionibus*, verb. *Indebitum*; Abbas, *ib.*, num. 12; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 33; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 71, et alii, arg. leg. *Nec supina* 6, et l. *Error* 8, ff. *De juris et facti ignorantia*. (51. Si autem id solvat per errorem seu ignorantiam juris, repetere seu condicere non potest, quia talis ignorantia non excusat. Glossa, *loc. cit.*; Abbas, *loc. cit.*, num. 12; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 33, et alii per text. in l. *In omni parte* II, leg. *Plurimum* 3, l. *Juris ignorantiam* 4, l. *Error* 8, leg. *Regula* 9, ff. *De juris et facti ignorantia*, et leg. *Cum quis* 10, cod. eod., ubi expresse, ac repetitis vicibus habetur, quod juris ignorantia non prosit. Imo in cit. leg. *Regula* 9, ff. *De juris et facti ignorantia* pro regula traditur expresse ut sequitur: « Regula est, juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere: » et in citat. l. *Cum quis* 10, cod. eod., sic præcise statuitur: « Cum quis jus ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio. Per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est. »

(52. Quis sciens, se non debere, et nihilominus solvit, non potest solum condicere seu repetere. *Communis*, textu expresso in l. *Nunc videndum* 1, § 1, ff. *De conditione indebiti*, ibi: « Si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio. » cum similibus; et

ratio est quia talis præsumitur donare, nam ut expresse dicitur in l. *Cujus* 53, ff. *De reg. jur.*: « Cujus per errorem dati repetitio est ejus consulto dati donatio est. » (53. Et procedit conclusio, etiamsi talis dederit hac mente, quod velit iterum repetere, textu expresso in l. *Quod quis* 50, ff. *De conditione indebiti*; ibi: « Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest. » Secus autem esset, si animo dubio, incerto ac titubante solvisset, textu expresso in l. *Pro dubietate* 11, cod. *De conditione indebiti*, ibi: « Quod nos decidentes sancimus, omnibus, qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quamdam speciem persolverint, repetitionem non denegari. » (54. Et ratio est, quia, ut expresse statuitur in l. *Non debet* 41, § 1, ff. *De regul. juris*: « In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro. »

(55. Asserens se indebitum solvisse, et conditionem intentans, probare debet, quod fuerit indebitum. *Communis*, textu expresso in cap. *Is qui* 4, *De solutionibus*, ibi: « Is, qui conqueritur, indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur, quod indebite sit soluta, » l. *Cum indebitum* 25, ff. *De probationibus*. Præsumptio enim stat contra ipsum, quia, ut expresse dicitur in cit. l. *Cum indebitum*, « qui... solvit, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, et indebitas effundat. »

(56. Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse. Tunc enim si de solutione accepta convincatur, ipse probare debet id, quod solum accepit, sibi revera debitum fuisse. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Is qui* 4, *De solutionibus*, ibi: « Nisi adversarius solutionem inficians exinde convincatur, tunc enim diffidenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset. » Et cit. l. *Cum de indebitum* 25, *De probationibus*.

(57. Ad facilius capienda hactenus dicta observandum est, quod conditio indebiti est actio personalis, quam quis habet contra eum, cui indebitum, hoc est aliquod, quod ei non debet, per errorem solvit. Sic in re communis, arg. l. *Nunc videndum* 1, *Quod indebitum* 7, l. *Indebiti solutio* 15, ff. *De conditione indebiti*, leg. *Pecunia indebita* 1, l. *Cum et soluta* 3, l. *Si per ignorantiam* 6, l. *Fideicommissum* 7, cod. eod., cum similibus.

(58. Indebitum autem est quasi contractus re initus, quo is, qui rem indebitam per errorem solutam accepit, ad eandem reddendam obligatur. Sic expresse Pirrhing, *loc. cit.*, num. 30, et alii per textum in l. *Si quis*, § 4, ff. *De obligationibus et actionibus*, et § *Item* 15, inst. *De obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De præsumpta solutione, de qua frequenter in foro disseritur, paucis hic agendum.

(59. Solutionem præsumptionibus propriari posse non ambigitur. At quænam præsum-

ptiones efficaces sint, videndum. (60. De existentia chirographi penes debitorem dubitatur, an ea præsumptionem inducat solutionis. In primis autem constare debet, an chirographum a debitore in medium productam, sit illud ipsum, quod antea in manibus creditoris fuit, idque quia accidere potest, ut debitor sciens, creditorem amisisset chirographum, aliud confecerit. (61. Constito de identitate chirographi, alia deinde inspectio occurrit, num voluntate creditoris debitor chirographum consecutus sit, an eo inscio et invito? (62. Hic autem ita distinguunt doctores. Si debitor suspectus sit, vel creditoris domesticus, aut alias familiariter cum eo conversetur, creditorem admittunt, ut juramento asserat chirographum se inscio ad debitorem pervenisse. (63. Econtrario autem si debitor vir sit probatæ vitæ et integritatis, ut suspicio subreptionis locum sibi vindicare nequeat, ejus juramento creditur, si testetur creditorem sibi chirographum reddidisse. Anton. Fab., in *Cod. lib. xviii*, tit. 3, defn. 24; Carpov., *Jurisprud. forens.*, part. II, constit. 29, defn. 12; adde Freyer, *De solut.*, c. 11, memb. 1, num. 20 et seq.

(64. Quid juris de chirographo cancellato? Si chirographum cancellatum reperitur apud debitorem, nec domesticum creditoris, nec alia de causa suspectum, ipse debitor vel ad juramentum admittitur, creditorem cancellasse, vel creditor onus probandi contrarium in se suscipere tenetur. Carpov. et Freyer, *locis mox allegatis*. (65. Quod si chirographum apud creditorem cancellatum reperitur, solutio præsumitur, nisi ipse creditor manifestis probationibus contrarium ostendat. Brunemann, ad l. 24 fer. per tot., *De solut.* (66. Dubitatio major est, si chirographum cancellatum penes tertium reperitur. Sunt qui existimant debitorem eo ipso non esse liberatum, cum chirographum illi tertio, saltem custodiæ causa traditum fuerit, et sic præsumptio cancellationis a creditore factæ cesset; vide Freyer, *ubi supra* num. 23, et ab eo allegatos. (67. Quod tamen ita intelligendum reor, nisi aliæ probationes concurrant. (68. Denique si chirographum confecit illudque in protocollo notarii cancellatum reperitur, solutionis præsumptio exinde non aliter oritur, quam si cancellationem consensu creditoris factam esse probetur, confer Menoch., *De præsumpt.* lib. III, præsumpt. 141, a. 19.

(69. Succedit privata debitoris adnotatio. Pro regula autem tenendum est quod, etsi debitor in libro quodam, in quo consignare soleat res quotidie gestas, aut rationes rerum suarum, scripserit, se alteri solvisse, hoc ipsi nequitiam proficiat, cum alias hac ratione quilibet debitor se a vinculo obligationis facile liberare posset. (70. Interim tamen regula hæc exceptionem patitur, ut ex adnotatione debitoris præsumptio factæ solutionis resultet, si simul aliæ circumstantiæ eidem adminiculentur. (71. De his autem circumstantiis, vide Mevium, part. IV, decis. 121 per tot.

(72. Sunt et aliæ præsumptiones factæ solutionis. Huc pertinet, quando creditor distulit multos per annos petere creditum, v. g. si non petit vivo debitore, sed defuncto eo, hæredes convenit, et tamen creditor est persona cauta, et diligens alias in exigendo, aut est pauper, aut non admodum dives. (73. Idem dicendum, si creditor a debitore mutuum petiit, tum si creditor administravit bona debitoris, atque ita sibi solvere potuit, rationes tamen non reddidit; tum si quis per tres apochas probet, se tribus annis proximis usuras solvisse; (74. tunc enim nisi creditor recipiens usuras ultimas protestando sibi consuluerit, easdem usuras ratione præteriti temporis etiam solvisse censetur. Fachin., lib. XIII, controv. 89; Finckelth., observ. 115; Mev., part. IV, decis. 345 et 355, utrobique fer. per tot. Sed consule præ cæteris Freyer, *De solut.*, cap. 12, memb. 6 per tot., qui de his omnibus fusius agit.

ADDITIONES CASINENSES.

(75. Quamvis utique clerico adsit obligatio solvendi, quippe justitia ipsa dictante jus suum unicuique tribuere, attamen si ob inopiam solvendo non sit, non tenetur ob debita bonis cedere, neque potest excommunicari, incarcerari aut aliter molestari, c. *Odoardus* 3, *De solutione*. Neque tenetur creditori cedere bona omnia, quæ de presenti habet; sed potest de bonis, quæ possidet, deducere, sibi que reservare, quæ pro honesta sustentatione necessaria quidem sunt. Glossa, ad cit. cap. *Odoardus*, vers. *Ad pinguorem*; Menochius, Abbas, Engel, Covarruv. apud Reiffenstuel, ex *De solut.*, n. 7, cum communi.

(76. Jam vero ut hujusmodi privilegio clericus perfruatur, requiritur:

I. Quod omnino ob inopiam solvere nequeat; nam si ad solvendum sit potens, etiam quoad partem, et contumaciter recuset solvere, in carcerem conjici, et in subsidium excommunicari potest. Schalmzgrueber, ad cit. tit. *De solutione*, n. 33.

(77. II. Ut de inopia, ob quam debitor non est solvendo, constet; et hinc illam probare debet saltem summarie et præsumptive ex fama, vel communi hominum æstimatione, aut reddituum suorum tenuitate. Idem, *ibid.*

Audiamus insuper Fagnanum, qui hæc habet: « Requiritur, ut de hujusmodi paupertate constet, ut patet in littera (textus cit. cap. *Odoardus*) ibi: « Quatenus si con- « stiterit, quod prædictus Odoardus in to- « tum, vel pro parte non possit solvere. » Rota, decis. 998, part. III, divers. ubi propterea decisum fuit quemdam abbatem, qui habebat beneficium valoris quinquaginta scutorum, non esse admittendum ad beneficium h. capituli (*Odoardus*), quia constabat eum non esse pauperem, et ideo Rota assignavit abbati scuta triginta pro victu et scuta viginti assignavit pro creditoribus. » Ad cit. cap. *Odoardus*, *De solut.*, n. 31.

(78. III. Ut ad inopiam et impotentiam

solvendi redactus non sit propria sua culpa aut dolo. Schmalzgrueber, *loc. et n. cit.* « Verumtamen (ita pariter docet Fagnanus) si clericus debitor esset in dolo, hoc beneficio non gauderet, (eo) quod dolosus non est admittendus ad beneficium. » Cap. *Odoardus, loc. cit.*, n. 44.

(79. IV. Ut clericus conveniatur ratione debiti in causa civili; quia super crimine criminaliter conventus, et ad poenam pecuniariam condemnatus, si solvendo non sit, non effugit carcerem, « sed quod in aere non habet, luere in cute debet. » Abbas, in *cit. cap. Odoardus, n. 5*; Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 34.

(80. V. Ut conveniatur actione personali, nam conventus actione reali non potest uti hoc beneficio, quod personale duntaxat est. Fagn., num. 52; Schmalzgrueber, *ibidem*.

(81. VI. Ut recognoscat, et fateatur debitum; nam si hoc neget pertinaciter, et postea de eo convictus fuerit, privilegium istud allegare non potest. Pirrhing, *ad cit. tit. De solut.*, n. 23; Schmalzgrueber, *l. c.*

(82. VII. Ut praestet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerit *cit. cap. Odoardus*; nam inopia et impotentia solvendi non exstinguit, sed tantum suspendit obligationem solvendi in tempus melioris fortunae. Idem Schmalzgrueber. *ib.*

(83. Porro « illud in praesentiarum advertere oportet, clericum semel ad beneficium h. cap. (*Odoardus*) admissum, non prohiberi iterum admitti, etiam post rem iudicatam, et in executione sententiae, dummodo tamen beneficium h. cap. non se extendat extra diocesim petentis. » Barbos., *Collect. DD. in Decret.*, ad c. tit. De solut., c. 3, n. 4.

(84. « Amplia privilegium hujus textus extendi ad moniales, cum in eis detur paratio, quae in clericis, prout iudicatum fuit in senatu Portugallensi, et in supremo supplicationis regni Lusitaniae. » Barbos., *l. cit.*, n. 5.

Verum privilegium, de quo hic locum non habet:

(85. I. « Ubi clericus esset debitor alicuius, qui esset pauperior ipso clerico. » Barbos., *l. c.*, n. 7.

(86. II. « Quando clericus esset perjurus, et suspectus de fuga, et debitum descendere ex dolo; tunc enim poterit carcerari. » Idem, *ib.*, n. 10.

(87. III. « Limita (etiam) in clerico debitore ratione depositi penes se facti, quia adversus exactionem talis debiti non poterit opponere de privilegio hujus cap. » Barbos., *ib.*, n. 13.

(88. IV. « Limita (quoque) in clerico, qui suscepit terminum, postquam fuit condemnatus ad solutionem debiti; namque ipse non poterit se laetari de beneficio hujus capituli. » Id., *ib.*, n. 14.

V. « Limita, quando clericus convenitur pro debito dependente ex delicto, vel quasi;

nam tunc et capi, et carcerari poterit. » Id., *ib.*, n. 15.

(89. VI. « Limita (pariter) in clerico dolo versato cum creditore, veluti si tempore contractus se finxit non esse clericum, altero contrahente id ignorante, aut abscondit de bonis, ne solveretur debitum creditori, vel pendente iudicio super debito principali, bona in extraneos alienet gratia fraudandi creditorem... (Unde) Marc. Ant. Genuensis... resolvit, quod clericus, qui in fraudem creditorum bona consumpsit, non debet gaudere privilegio h. textus, sicut nec occultans illa, aut debita contrahens sub spe gaudendi hujusmodi privilegio. » Prælaud. Barbosa, *l. c.*, n. 17.

(90. VI. « Limita (etiam) in clerico hærede, non confecto inventario, qui non potest uti beneficio hujus cap. » Idem, n. 19.

(91. VII. Pari modo « Limita in clerico administrante bona aliena, ut quia fuisset tutor vel curator, et malam rationem reddidisset de administratis. » Idem, n. 22.

(92. Quæres, quinam clerici gaudeant privilegio h. cap.?

(93. Certum est gaudere hujusmodi privilegio clericos in majoribus constitutos, item minoristas, sed beneficium ecclesiasticum habentes; aut si isto careant, habitum et tonsuram clericalem deferentes, alicui ecclesiae ex mandato episcopi deserviant, vel in seminario, aut in studio aliquo generali versentur. Schmalzgrueber, *l. cit.*, n. 35.

(94. Dubium est de iis, qui in minoribus constituti, nulli ecclesiae serviunt, nec in studiis ex episcopi mandato versantur. Non conveniunt DD., quibusdam negantibus, affirmantibus aliis. Fagn., *cap. cit.* n. 24, 25, distinguit: nam si hujusmodi clerici in minoribus constituti, imo prima solum tonsura initiati, conjugati non sint, et habitum, ac tonsuram deferant, affirmat iis competere dictum privilegium, propter generalitatem cap. *Odoardus*. At si abjectis clericatus indicibus, publice se pro laicis gerant, aut conjugati sint, negat iis patrocinari privilegium allegatum; quia tales, licet characterem ordinis, indelebilem habeant, et retineant, in omnibus tamen ut laici reputantur. Schmalzgrueber *ib.*, n. 36.

(95. Quæres item, an clericus possit dicto privilegio renuntiare? « Verius est non posse renuntiare: ita communiter. Ratio est quia privilegium hoc non est privatus singulorum, sed publicus favor totius ordinis seu status clericalis, ne videlicet in opprobrium istius, clerici cogantur mendicare, aut alias sordide vivere; publici autem favoris renuntiatio nulla est, *l. Jus publicum* 38, ff. *De pact.* Proceditque hoc, etsi renuntiationi adjectum sit juramentum; quia juramentum hoc bono publico præjudiciosum est, et consequenter jurantem non ligat. » Schmalzgrueber, *ib.*, n. 39. Vide *Addit. Casinenses*, sub v. IRREGULARITAS, vers. *Inter crimina*, etc.

SUMMARIUM.

1. Somnium quid sit. — 2. Assignantur secundum varios genera somniorum, ad num. 4. — 5. Secundum tamen posteriores theologos somnia dividuntur in divina, daemoniaca et naturalia. — 6. Divina somnia quæ sint. — 7. Assignantur varii fines divinorum somniorum ex sacra Scriptura. — 8. Et adducuntur multa alia divina somnia ex historiis sanctorum. — 9. Daemoniaca somnia quæ sint. — 10. Assignatur inventum daemoniacorum somniorum. — 11. Naturalia somnia quæ sint. — 12. Somnia naturalia proficiscuntur, vel a causa intrinseca somniantis, vel a causa illi extrinseca: intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, et dicitur *causa animalis*; et quædam potissimum a corpore, et vocatur *causa corporalis*. — 13. Intrinseca causa animalis quæ sit? et assignantur varia somnia ex ipsa procedentia. — 14. Bonorum hominum somnia meliora sunt quam malorum. — 15. Intrinseca causa corporalis quæ sit? — 16. Extrinseca naturalis causa somniorum quæ sit. — 17. Species imaginabiles in somniis causatae producunt in somniantibus varios effectus, qui assignantur, et præsertim patent in noctambulantibus seu melius somnambulantibus. — 18. Traditur modus seu regula pro discernendis somniis an sint divina, an daemoniaca, an naturalia? — 19. Quando constat non esse somnia naturalia, et dubitatur an sint divina vel daemoniaca, tutius est ea caveri et contemni ut daemoniaca. — 20. Divinorum somniorum observatio est licita, at interpretatio convenit solum illis quibus a Deo facta est interpretationis revelatio. — 21. Daemoniacorum somniorum observatio, ut fraudes daemones caveantur, est licita, sed ad occulorum vel eventuum futurorum scientiam

(1. Somnium est phantasma in somno factum, id est apparitio phantastica in somno facta; ex Aristotele, lib. *De somno et vigilia*; sive visum, quod in somno apparet. Et ut ex Richelet habet Pontas, verb. *Somnium*, in princip. Somnium est motus vis imaginandi, quæ dormientis in sensibus exprimit formam rei effectæ conformem.

(2. Somnia ex Macrobio, lib. 1 *De somn. Scipion.*, quem sequitur Salisber, lib. 11, dividuntur in quinque genera, scilicet in insomnium, spectrum, somnium, visum et oraculum; sed Artemidorus, lib. 1, cap. 2, quinque ad duo revocavit, insomnium nempe et somnium; sub insomnio spectrum, sub somnio comprehendit visum et oraculum, quoniam hæc illud consequuntur. Sic refert Delrius, *Disquis.*, t. 11, lib. 14, cap. 3, quæst. 5, vers. *Macrobius*.

(3. Auctor libri *De spiritu et anima* (sive is sit Hugo Victorinus, sive alius) cap. 25, operis quinque somniorum genera enarrat, videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium phantasma. « Oraculum, inquit, est cum in somniis aliqua sancta gravisque persona, vel etiam Deus eventurum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nuntiat. *Visum* est, cum id, quod viderat quis, eodem modo, quo apparuerat, evenit. *Somnium* est quid figuris tectum, quodque sine interpretatione intelligi non potest. *Insomnium* est, cum id quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, ut cibi cura, vel studium. *Phantasma* est, quando

seu cognitionem habendam, est illicita. — 22. Observatio et interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. — 23. Quid, si causa naturalis somniorum sit extrinseca? — 24. Peccat graviter, qui ex somniis tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis divinam futura contingentiam, aut quæcumque dependent ab humana voluntatis arbitrio. — 25. Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatione per somnia, qua ex ipsis prædicatur seu creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. — 26. Et multo gravius peccant, qui nedum somniis sibi fortuito obvenerint firmiter credunt, sed et ipsa cum abusu rerum sacrarum ex animo procurant. — 27. Non est tamen culpandus peccati saltem mortalis qui, sine ulla superstitione et sortilegio, sed ex mera curiositate perquirat thesaurum absconditum sibi in somniis manifestatum. — 28. Item non est condemnandus peccati mortalis, qui dubitans, an thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, ipsum perquirat, nulla adhibita fide somniis. — 29. Nec sic est culpandus, qui nulla adhibita fide et habita superstitione, terram fodit ad inveniendum thesaurum ibi sibi a dæmone indicatum. — 30. Similiter non peccat mortaliter observans somnia non omnino eis credens, sed tantum propter talia somnia aliquod de se non malum operatur, ut evitet quædam mala sibi in ipsis minata. — 31. Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus somniis fides, imo generaliter loquendo nulla est ipsis fides et observatio præstanda.

quis dormire cœpit, et adhuc se vigilare existimat, aspiceretque videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas. » Sic habet Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Somnium*, fol. 348, litt. H.

(4. Sanctus Gregorius, lib. viii *Moralium*, cap. 13, et l. iv *Dial.*, cap. 48, « sex genera somniorum ex totidem causis orta commemorat; aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis somnia existunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illusionibus daemones, aut ex cogitatione hominis simul et illusionibus daemones, aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis simul et revelatione Dei, sicque rectissime, ut Delrius observat, *loc. cit.*, concl. 2, somnia tribus auctoribus ascribit; Deo, naturæ et daemoni. » (5. Unde posteriores theologii ea diviserunt in divina, daemoniaca et naturalia, quam divisionem, variis aliis relictis, et nos amplectimur.

(6. Somnia igitur divina, seu cœlestia, sunt illa quæ a Deo inspirantur, sive id faciat immediate per se, sive ministerio angelorum, ut plerumque accidit. Unde sanctus Thomas, 2-2, quæst. 93, art. 6, in corpore, sic ait: « Spirituales autem est quandoque quidem a Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somniis. »

(7. Divinorum seu cœlestium somniorum varii fines reperiuntur in sacra Scriptura. I. Ut quis a malo absterreatur, sicut factum